

omnibus probasset, ad Hannoveranam ablegatus est. In qua non optimâ solum indole ingenioque acutissimo propositis rebus quibuscunque capiendis apprime apto, sed & inusitata modestia Præceptoribus adeò se commendavit, ut non possent nisi tenerrimo *Redekertum* suum affectu complecti. Jactis solidioribus studiorum fundamentis atque ad altiora sic satis præparato pectore suasu propinquorum ad Academiam hanc Varniacam, quæ meritis ejusdem clarior ac illustrior reddenda erat, 1647.æt. 22. sese contulit. In qua ipsa spectatorem inanem haud egit, sed diurnâ nocturnâque manu libros versando ad elegantiorum eruditionem summo contendit ardore, non ignarus, assiduo scientiam labore meritorumque famam parari. Laudatissimæ ejus diligentia testimonium præbet luculentissimum, quam, per anni spatium hic commoratus proprio Marte *de Fidejussoribus* elaboratam Præsidente *D. Joach. Schnobelio* censuris publ. subjecit, Disp. elegantissima. Quo facto permotus illustris *Job. Cochmannus*, Cancell. Mekl. filio suo *Ernesto*, juris studio eâ tempestate in hac ipsa Academia litanti, *Redekertum* nostrum commilitonem & contubernalem adjunxit. Sed & biennio post filio unico ephorum elegit R. M. Suec. Gubernator Wismariensis. Quanto verò affectu Facultas Jurid. ob solidam scientiam profecuta Nostrum fuerit, vel inde patescit, quod Studiosos in juribus instituendi potestatem ipsi fecerit. Ut adeò in ipsis juventutis annis & legendo & disputando optimè de Acad. meritis sit. Ne verò exteris lateret magna *Redekeri* eruditio, Marpurgensi, Giessensi Heidelbergensique lustratis Academiis ad Argentinensem quoque se convertit. Ubi cum per tres menses substitisset, à Sereniss. Principe, Comite Nassovico Sarapont. ad ephoriam Filii *Ludovici Friderici* vocatus est. Quam spartam priusquam suscipere, Doctoris gradum à Fac. Jurid. modestè petiit. A qua & in tentamine pariter, ceu vocant, ac riguroso examine, imo & in elaboratione duorum Textuum Juris Civ. & Canon. tam solidâ imbutus scientiâ juridicâ, qualem haud sperassent, deprehensus fuit. Postmodum & Ann. 1654. Disputationem inaug. sine Præsidente, ut ibi moris est, habendo summam præmeritis laudem fuit. In ipso itinere, quod cum fidei suæ commisso Seren. juventutis Principe ingredi jussus erat, in vicinam sibi Galliam, constitu-

tu